



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

VIII. De ieiuniis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

num retinuerit, legis violatæ pœnam subito, Anglus multa afficitur. Dacorum quisquam si ad candelas nummum non dederit, iuris violati pœnas luito, Anglus plectitur. Dacus si iustam nomine aratri eleemosynam non soluerit, ruptæ legis pœnam dependito, Anglo autem, si quid delinquitur, multa irrogator. Dacus si iura, aut officia quæcumque diuina supprefferit, aut retinuerit, legis violatæ pœnam dependito, Anglus multator. Si quis contumaciter obsistendo alium iura atque officia diuina petentem vulnerarit, capitale esto: Sin mortem obtulerit, ab omni legis patrocínio destitutus habetor, eumque omnes iustitiæ cultores vel inuitum ac læsum capiunt. Atque si eum suapte culpa iuri diuino aut regio se opponentem morte occubuisse liquido confirmetur, propterea ne quidquam penditor.

VII.

Dacus si die dominico quidquam fuerit mercatus, re ipsa, & oris præterea duodecim multator, Anglus 30. solidos numerato. Liber si die quocumque festo operis quidquam fecerit, aut seruituti subiaceret, aut multam, legisque violatæ pœnam dependito: seruus vapulato, aut precio virgarum metum redimito. Dacus si seruo suo inuito opus addixerit die quocumque festo, rupti iuris pœnam dato, Anglus multa afficitur.

VIII.

Liber si indictum ieiunium cibo sumpto dissoluerit, & multa, & ipsa legis violatæ pœna plectitur, seruus vapulato, aut precio redimito.

IX.

Porro autem festis diebus omnibus, & legitimis ieiuniis ordalium nullus ingreditor, neve ad iusiurandum addictor. Dacorum si quis contra fecerit, legis violatæ pœnas dato, Anglus multa plectitur.

Nemo, quoad eius fieri poterit, cuiuscumque sceleris admitti conscius, die dominico morti obiicitur, verum comprehensus, vsque dum dies festus transierit, tenetor.

X.

Si cui membrum corporis sceleris admitti causa præcitur, isque tres noctes superstes fuerit, quisque deinceps